



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Disputatio LXXV. De actibus & contrariedade voluntatis Christi. S. Thom. q.
18. art. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

rum sentientem, duas item voluntates acceptas pro actibus: quia vtraque voluntas suos exercuit. item Christus voluit media & finem voluntate in-creata, & creata: at voluntas creata accepta pro

potentia, non fuit nisi vna: quia in homine non s. Thom. sunt plures. De appetituum pluralitate iam egi vo. q. 18. a. 6. lum. i. disp. 17. de Anima.

DISPUTATIO LXXV.

De actibus, & contrarietate voluntatis Christi.

S. Thom. q. 18. art. 6.

SECTIO I. *Vtrum Christus habuerit aliquos actus, per quos adhiberet media ad consequendum obiectum, quod sciebat non esse futurum?*

SECTIO II. *De voluntate latendi, & salutis reproborum.*

SECTIO III. *De voluntate fugiendi mortem.*

SUBSECTIO I. *Vtrum Christus fugerit affectu substantialiam mortis?*

SUBSECTIO II. *Vtrum illa fuga mortis fuerit effi-*

cax, an simplex?

SUBSECTIO III. *Quid alij respondeant ad opposita argumenta?*

SUBSECTIO IV. *Praemonitiones ad responsa.*

SUBSECTIO V. *Ad argumenta.*

SUBSECTIO VI. *Difficultates.*

SECTIO IV. *Duo corollaria.*

SECTIO V. *Vtrum voluntas humana Christi fuerit semper impleta?*

§. 1. **A**M ostendi, in Christo esse duas voluntates: item probavi in eo fuisse admirationem, dolorem, timorem, tristitiam, &c. De dono timoris egi disp. 68. In eo fuisse actus efficaces, fides docet: nam & motus, & sermo, merita, & alia eiusmodi, sine actibus voluntatis humanae efficacibus non contingere. Praestd est ratio: quia isti actus possunt esse honestissimi, neque Christo defuerunt, nisi qui pugnant cum munere perfecti redemptoris, & visione beata: actus enim efficaces, scilicet qui simpliciter tantum tendunt in obiectum, nullo adhibito medio ad illud assequendum, vel fugiendum, in eius voluntate fuisse est certum: quia habuit voluntatem circa multos dolores, quos numquam vitare voluit; quos simplici refugit affectu.

SECTIO I.

Vtrum Christus habuerit aliquos actus, per quos adhiberet media ad consequendum obiectum, quod sciebat non esse futurum?

§. 2. **V**ideretur fide certa pars affirmatiua. Marci 7. vbi asseritur Christum latere voluisse, & non potuisse. Quod testimonium adducit Agatho Papa, eoque vtitur VI. Synodus act. 4. ad probandum in Christo fuisse voluntatem humanam, quae non potuit ab eodem Christo impleri. De quo testimonio actum est vol. 2. disp. 119. §. 24. & hac disputatione agendum a §. 3. ad 16. & 58. Christum autem verè voluisse latere, constat ex verbis ipsius: nam constat ex Agathone, & ex ipso contextu aliquid voluisse, quod nequaquam affectus est, neque potuit: hoc autem nihil fuit praeter occultationem aduentus, qui è vestigio fuit euulgatus: media autem fuerunt se occultare: nullum enim erat medium accommodari. Constat eadem doctrina ex oratione Christi in orto in agone constituti: voluit enim fugere mortem, ad quod adhibuit prudentissimum & honestissimum medium, quod erat oratio: voluntas enim illa Christi non solum fuit simplex displicentia mortis; sed etiam voluntas efficax eam vitandi, quantum in se erat, vt dicam §. 29. nam aliquid dicimur efficaciter velle, quando adhibemus

Per Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

media, quae sunt in nostra potestate: nec enim opus est, vt res succedat; sed sufficit, si faciamus quod in nostra est potestate: Christus autem fecit quod erat in sua, nempe orare Deum, vt ab eo mortem auerteret: Christum autem verè cognouisse se non effugiturum mortem, nec eius aduentum occultandum, patet ex disp. 54. Vbi probavi à Christo nihil ignorari rerum existentium, & ad eius statum pertinentium, maxime mortem, quam ipse sponderat, & Pater acceptauerat pro salute hominum. nec de hac re licet dubitare. Vnde constat Christum aliquid voluisse, & adhibuisse media scientem rem non esse futuram. Voluntatem latendi non est dubium fuisse in Christo: ait enim Pontifex eum voluisse, quod non potuit assequi: vnde voluntatem humanam confirmat: nec est dubium eum refugisse aut mortem secundum substantiam, aut secundum accidentia nonnulla. Vtrum autem ille affectus fuerit simplex displicentia, aut desiderium, infra disquiram eo §. 29. voluit item salutem reproborum, quam non obtinuit.

SECTIO II.

De voluntate latendi, & salutis reproborum.

§. 3. **H**aec tamen quantumcumque certa, plena sunt difficultatibus. Ac Primùm, voluntas de reproborum salute, & occultatione sui ad-

X x 2 uentus,

S. Thom.
q. 18. a. 6.

uentus, videtur fuisse maximè imprudens, imò peccatum: quia priùs ratione quàm Christus eas voluntates exerceret, viderat scientia absoluta beata & infusa reprobatorum damnationem vt existentē: item & manifestationem aduentus. At velle nequid existat, ex suppositione quòd existit, est imprudentiæ vertendum: item velle vt Deus mutet decretum efficax de se: ob quod vol. 2. disp. 119. §. 45. probauit nec spem, nec efficax desiderium posse componi cum reuelatione de damnatione æterna.

§. 4. Non est efficax hoc argumentum. Fateor à Christo cognitam in primo conceptionis instanti reprobatorum damnationem, item & sui manifestationem aduentus: at scientia consequente ratione nostra, & natura: quia scientia intuitiua creata est natura posterior suo obiecto: priùs autem ratione & natura, quàm Christus eas scientias actuales haberet, voluit Christus salutem reprobatorum, qui in statu absoluto non fuerunt in damnatione præuisi, nisi post eam voluntatem; quam Deus exegit vt principium meritorum omnis gratiæ, tam efficacis, quàm sufficientis. Qua voluntate petiuit Christus hæc auxilia ijs hominibus, quæ fuerunt sufficientia tantum; hæc alijs, quæ fuerunt efficacia: at reprobi eis auxilijs abusi, damnati sunt ratione posterioris, quàm abuterentur; electi autem fuerunt adscripti gloriæ ob auxiliorum vsum. Hæc reuelata fuere Christo ratione posterioris, quàm contingere: qui ratione posterioris reuelatione nullum actum exercuit de procuranda reprobatorum salute, nec de occultando suo aduentu. Hæc autem non repugnare, imò posse componi non solum cum desiderio de se efficaci adhibendi media ob eum finem; sed etiam cum spe, latè probauit vol. 2. disp. 119. §. 36. non posse esse desiderium salutis reprobatorum ortum à scientia visionis de eorum damnatione, ibidem ostendi §. 45. Recognosce omnia, quæ ibi disseruit: quo autem pacto neget S. Thomas Christum orasse pro reprobis, dicam disp. 78. sect. 7.

§. 5. Obijcies Secundò, actum illum fuisse imprudentem: quia licet absoluta scientia Christus non præcognouit damnationem reprobatorum, nec manifestationem aduentus, nisi posterioris natura quàm absolute extiterunt; at scientia conditionata id sciuit priùs logicè, quàm extitere: at ea scientia imprudentem redderet voluntatem de opposito obiecto: ergo. Probo Minorem: quia viderentur omnia media inutilia re ipsa. Responderi posset, Christum eodem primo instanti habuisse eam scientiam conditionalium, vt etiam absolutorum; at ratione posterioris, quàm extitere in statu absoluto: tunc enim comitanter donatus fuit vtræque scientiæ, nempe conditionali, & absoluta: at non est opus ea doctrina: ostendi enim volum. 2. disp. 119. à §. 52. ad 57. posse Deum moueri ad conferenda auxilia sufficientia reprobis ex voluntate & desiderio gloriæ cum scientia media de illorum damnatione, & inutilitate actuali auxiliorum. De Christo autem idem dixi §. 59. Quæ voluntas est prudentissima: quia media secundum se erant vilia: at Christus caruit spe beatitudinis reprobatorum, non tamen vero desiderio.

§. 6. Tertio, possumus obijcere orationem pro salute reprobatorum fuisse prudentem & perfectam: quia pro illis orauit Christus eodem modo, quo Deus voluit illorum salutem: voluit enim ex voluntate generali gloriæ dare hæc auxilia in his cir-

cumstantijs, in quibus præuisi sunt perituri: itaque voluntas Christi consentanea fuit voluntati Dei circa idem obiectum. At voluntas de occultando aduentu fuisset imperfecta: quia Deus magis propensus fuit in manifestationem, quàm in occultationem, siquidem excitauit Sidoniorum voluntatem, vt illum prædicaret: at Christus lege perfectionis tenebatur velle magis id, quod Deo magis placere videbat: ergo Christus non potuit velle occultationem sui aduentus.

§. 7. Responderi posset, quòd aliqui respondent difficultati, cur Christus fugeret mortem quam Deus decreuerat? existimant Deo placuisse mortem; nec propterea minùs ei placuisse fugam Christi & reculationem mortis, quam fugam Deum etiam voluit: qui sibi complaceat in oratione iusti pro salute reprobi: iustum autem orantem pro auxilijs efficacibus reprobatorum, quæ auxilia Deus negare decreuit, donat præmio: ergo rectè componunt Deum aliquid nolle, & illi placere orationem iustorum pro eo beneficio. Huius opinionis meminit P. Valquez disp. 73. n. 13.

§. 8. Non placet hæc ratio: nos possumus petere à Deo reprobatorum salutem, dum ignoramus decretum efficax Dei de negandis auxilijs efficacibus ad finalem penitentiam: in qua circumstantia oratio iusti est digna laude & præmio: & quia cum hac ignorantia sumus frequenter, frequenter orandum est pro omnium salute, vt dixit August. tom. 8. in psalm. 54. ad 1. vers. Tamen, inquit, quamdiu ita sunt, vt exerceant nos, non eos oderimus: quia in eo quòd malus est quis eorum, vitium vsque in finem perseveraturus sit, ignoramus. Diabolus, & angeli eius, in Scripturis sanctis manifestati sunt nobis; quòd ad ignem æternum sunt destinati; ipsorum tamen desperanda est correctio. Ob quod dixerat priùs: Vt nam ergo qui nos modo exercent, conuertantur, & nobiscum exercentur.

§. 9. Quando verò certi sumus de alicuius reprobatione, non licet pro illius orare salutem, oratione consequente eam scientiam, clarum testimonium est in Samuele 1 Reg. 16. 1. Vt quod tu lugens Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnes? Lira in e. 15. & 16. censet Samuelem non orasse pro Saule cognito iam decreto efficaci Dei: sed luctum Samuelis ortum ex dolore de amici fortuna. Abulens. in cap. 15. qu. 36. censet orasse Samuelem, & cap. 16. à Deo reprehensam orationem, non quòd tunc fuerit mala; sed in futurum eam malam fore: quia ante reuelationem illam è cap. 16. Samuel non erat certus de decreto efficaci Dei: post quam orationem non orauit pro Saule. Recognosce item quæstionem vltim. in cap. 15. Vnde concludo, non posse componi istam voluntatem fugiendi, quòd scimus decretum efficaciter à Deo: quia iam nostra voluntas directè esset opposita diuinæ circa idem obiectum: ergo Christus non potuit ea ratione fugere mortem: quia certus erat decreti Dei efficacis. Nec Deus voluit, vt Christus sese obijceret voluntati diuinæ.

§. 10. Alij censent, voluntatem Christi fuisse displicentiam in mortem secundum se: quæ talicerat, vt posset inferre electionem mediorum ad vitandam necem, nisi voluntas Dei obliteret: quæ voluntate Dei cognitâ, se cohibuit voluntas humana Christi, ne fugeret: cum autem orauit, non fuit ad deprecandam mortem, sed ad ostendendum

dum dolorem, & odium, seu simplicem displicentiam. ita censet P. Vasquez disp. 73. cap. 3. P. autem Suarez disp. 38. sect. 4. & 5. admittit voluntatem conditionatam parum diuersam ab illa prima: alijque consentiunt. Nec placet hæc doctrina: tum quia à §. 25. ostendam illam fugam mortis fuisse verum desiderium suæ incolumitatis, & Christum adhibuisse medium prudentissimum ad eam fugiendam: tum quia, quidquid sit de fuga mortis, negari non potest Christum voluisse latere Tyrios, & non potuisse: quia ideo se abscondit, ne pateret: fuitque illa voluntas humana desiderium efficac de se, & medium adhibuit. si verò illa fuisset simplex complacentia dumtaxat, aut velleitas, vel conditionata voluntas; nec media fuissent adhibita, nec Christus diceretur ab Agathone voluisse latere, & non potuisse. Quæ enim volumus simplici affectu dumtaxat, possumus non assequi alio ex capite, quàm ex impotentia.

§. 11. Tandem censent alij Christo fuisse tres scientias creatas, beatam, infusam, & acquisitam. Christo fuit nota sui aduentus manifestatio per scientiam beatam, item & infusam; ignota autem per acquisitam: ex qua orta est voluntas latendi, comparatione cuius duæ aliæ scientiæ fuere per accidens. ita videtur indicare P. Maldon. in Matth. 26. 39. asserens Christum se gessisse in deprecanda morte, ac si nihil certò accepisset de voluntate Dei, cui scientiæ subscribunt plurimi.

§. 12. Nec hæc placent. alibi dixi posse à Christo desiderari aliquem affectum ortum per se à scientia acquisita, vt admirationem, & alios: at illa multitudo scientiarum non potest efficere, vt Christus per vnã moueatur ad aliquem affectum, quem per aliam cognoscit esse contra voluntatem Dei, aut imprudentem: sed affectus latendi esset contra voluntatem Dei, & imprudens: ergo Christus non potuit illum habere. Maior probatur: quia voluntati Christi satis erat nota voluntas Dei, & inutilitas mediolorum: item se non posse velle, vt Deus mutaret efficacia decreta, nec vt non esset manifestatio ex suppositione quòd erat: ergo illa voluntas non poterat id velle per aliquam voluntatem debitam ab illis scientijs. Probo consequentiam: Primùm, quia ea voluntas aut esset peccatum, aut imperfectio.

§. 13. Quod explico ab exemplo nostri. scientia naturali non cognoscimus infinitam durationem pœnarum apud inferos, nec visionem beatam, quæ fide supernaturali cognoscimus: at qui desperat, non mouetur fide ad desperationem; sed cognitione naturali. Quod peccatum est contra spem supernaturalem: quia licet non oritur à fide, oritur à voluntate sciente per fidem præmia & supplicia æterna. Ratio à priori: quia voluntas est vna & eadem, cui vtraque scientia proponit obiectum: & quamuis peccatum non oritur à scientia supernaturali, oritur à voluntate sciente supernaturaliter eius malitiam, vnde tenetur vti scientia supernaturali, nec operari contra supernaturale dictamen: alioquin idem intellectus posset duabus scientijs assentiri simul, & dissentiri: eadem voluntas amare, & odio efficaci ferri simul in obiectum idem.

§. 14. Huic difficultati satisfaciendum duplici ex capite. Primùm, Christum cognouisse voluntatem Dei de manifestatione sui aduentus; illam ta-

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. pars I.

men scientiam tam absolutam, quàm conditionatam fuisse consequentem, & ratione posteriorem, quàm voluntatem latendi, & electionem mediolorum ad latendum; vt de voluntate, & oratione pro reprobatorum salute dixi §. 4. itaque Christus voluit latere prius ratione & natura, quàm sciuerit non esse voluntatem Dei vt lateret: scientia autem eius voluntatis Dei, item & inutilitatis mediolorum fuit posterior. Nec propterea Christus fuit imperfectus: tum quia nihil voluit nisi sub conditione, si Patri placeret; tum quia ex affectu honestissimo id voluit: nec Christus fuit ignarus absolute voluntatis paternæ, & euentus futuri: quia ignorantia est carentia scientiæ, quæ carentia nullo instanti fuit in Christo, sed sola præcisio pro signo aliquo ratione priori.

§. 15. Obijcis, Christum venisse illuc gratia faciendi filiam Chananæ, vt ex B. Hieron. probat Abulensi in Matth. 15. qu. 56. at Christus prius ratione cognouit scientia conditionata futuram sub conditione sanitatem feminæ: item multi exercuerant fidem supernaturalem, & alios actus supernaturales ex gratia per Christum, quod pendeat ab aduentu Christi vt cognito. Respondeo Christum potuisse pro illo priori signo rationis cognoscere sanitatem filie Chananæ, fidemque matris & aliorum, & pro illis obtulisse sua merita, & cognouisse impetrationem: at quo tempore id futurum esset, & iterum ex hoc numero aduentu sic manifestato, analia ratione, non intelligitur cognouisse pro illo priori; sed posterius ratione, quàm vidit suum aduentum apertum iam Tyrijs, post quàm cognitionem nihil curauit de occultatione aduentus, sed de curanda filia Chananæ, & animis Tyriorum, vt sponderat cum Patre. Finis autem, quem absolute præscripsit suo itineri, fuit punire Iudæos, & significare eos indignos suo conspectu: sub conditione autem fuit sanare ægros, si tunc esset occasio à Deo præscripta: at postquam cognouit eam esse occasionem, adiecit absolute & finem eos curandi. S. Hieron. hoc voluit, de partitione autem horum signorum rationis in eodem instanti reali, nihil curauit Hieronymus.

§. 16. Secunda ratio superandi hanc difficultatem est, Deum æquè fuisse propensum in manifestationem aduentus, & in occultationem: ad vtrumque autem partitus est Deus auxilia æqualia, & ex voluntate æquali: Tyrios, aut eos, qui euulgauerunt aduentum, eum euulgasse sine speciali auxilio quàm tacuissent. nec mirum: Deus enim magis vult nostra bona opera, quàm mala; & tamen nos abutimur sæpè auxilijs datis ad bene operandum, nec cum illis operamur, sed cum concursu generali parato ad actum peccandi: ergo multo melius poterimus efficere quod libuerit ex duobus obiectis æquè amatis à Deo. Quo ex capite Christus non potuit esse imperfectus; quia elegit obiectum bonum, æquè amatum à Deo: actus autem fuit prudens: quia scientia absoluta non fuerat præuisa manifestatio aduentus, sed conditionata dumtaxat; quæ non officit prudentiæ, vt dixi §. 5.

S. Thom.
2. 2. a. 6.

S E C T I O III.

De voluntate fugiendi mortem.

§. 17. **H**æc difficultas est grauis: tum ob opinionum diuersitatem in explicando obiecto petito à Christo: tum in componenda voluntate humana Christi cum diuina: tum tertio in conciliandis diuersis actibus voluntatis humanæ Christi.

S V B S E C T I O I.

Vtrum Christus fugerit affectu substantiam mortis?

§. 18. S. Matth. cap. 26. n. 39. describit Christi timorem atque tristitiam in oppetenda morte: *Et progressus pusillum, prociuit in faciem suam, orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Marcus cap. 14. n. 36. *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me.* Lucas c. 22. n. 41. *Et postis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me.* Hæc Euangelistæ.

§. 19. Statuendum in primis est Christum verè, & absque metaphora timuisse, contristatū esse, pauisse, & rædido affectum. B. Damasc. lib. de Centum hæresibus cap. 84. refert Escharadocitarum errorem, Christum assumpsisse carnem impassibilem, more carnis callosæ, seu obducti calli: ob quod dicti sunt *Escharadocitæ*, id est, approbatores carnis duræ, in quem errorem iuit Iustinianus Imp. in quem scripsit Anastasius Antioch. B. Hilarium in eum flexum errorem asseruit Claudianus Viennensis. Hilarium postea excusauit Magist. in 3. dist. 15. Recognosce P. Alfonso Salmieron. to. 10. tract. 9. vbi mira eruditione exponit, Hilarium, item Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, & alios non negasse Christo verum dolorem; sed eum negasse, qualis est in nobis insolentarius, & vilis: fuit enim in Christo voluntarius, item & heroicus, ex amore in Deum, & nos; nec eum perturbauit, qui diuinæ voluntati fuit tunc maxime subiectus.

§. 20. Est ergo difficultas de obiecto doloris atque tristitiæ, quid que Christus eo fugere sit conatus: an propriam necem? an verò aliquid ad eam spectans, aut ad discipulos, aut Iudæos, aut ceteros mortales, quos susceperat redimendos?

§. 21. Hilarius can. 3. in Matth. censet Christum orasse pro discipulis, ne paterentur scandalum; ne item diffiderent: pro se autem censere videtur non orasse Christum, cuius verba adducit P. Salmieron tom. 10. tract. 12. vers. *His præmissis*: clariora adducit S. Thomas in Catena in Matth. 26. in *Et progressus pusillum*; vbi Hilarius increpat asserentes dolorem fuisse de propria nece, qui componi non potuit cum desiderio mortis, quam ipse sponte elegerat ad quam hortatus est suos. Consentire videtur etiam Hieron. apud eundem Thomam, tristitiam adscribens non morti, quam optabat, sed interitui Iudæ & populi Iudaici, item & scandalo Apostolorum. Theodoret. apud eundem Thomam in Marc. cap. 14. in id *Tristis est*, ait, *Tristor, non quod mori debeo, sed quia Israelitæ propinqui mei me crucifixuri sunt; ac per hoc à regno Dei debent excludi.* A quibus

non videtur alienus S. Thom. 3. p. q. 21. art. 4. ad 1.

§. 22. Alio in sensu fuisse Dionysium Alexandr. ostendunt B. Thomas 3. p. q. 21. a. 4. ad 1. & in Luca 22. & P. Salmieron tom. 10. tract. 12. nempe orasse Christum non vt calicem non biberet, sed vt cito finiretur eius acerbitas, nec eo opprimeretur. S. Catharina Senensis existimauit Christum desiderasse, vt quam citissime passio contingeret; quia Christus vehementer desiderauerat mori: ex quo desiderio aliud etiam oriebatur, nempe vt cito id eueniret, de qua Sancta Doctrice egit P. Salmieron eodem tract. 12.

§. 23. Existimo non posse absque periculo in fidem, negari Christum timuisse propriam necem, cuius iam imminenti causa tristissimus erat. Huius conclusionis fundamenta iecit S. Thomas in Catena in Matth. 26. Marc. 14. & Luca 22. adductis plurimis Patrum testimonijs ea de re clarissimis. Damasceni asserentis à Christo reformidata naturaliter corruptiua, & habitum naturalem mortis, timorem & tristitiam. Item Hieronymus asseruit tristem Christum, non tamen passionem, sed propensione, ne passio dominaretur eius animo. Item in Marc. 14. ait nos exemplo Christi doceri timere iudicium mortis. Clarius lib. 3. in Matth. c. 20. ait: *Calicem in diuinis Scripturis intelligimus passionem: iuxta illud, Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Recognosce in ea Catena Augustinum, Ambrosium, Chrylostomum, aliosque Patres: item apud P. Salmieron. Consentunt sacri interpretes, & Scholastici Doctores apud P. Vasquez disp. 61. cap. 3. & disp. 73. n. 12. quibus assentitur S. Thom. pluribus in locis, neque oppositam docuit adductus 3. p. Sed ibi recensis varijs opinionibus, respondit ex singulis, qua ratione Christus fuerit auditus. Sed præcipue id constat ex Synodo VI. generali act. 4. vbi Agatho definit Christum fugisse affectu mortem: *Orat quidem Patrem vt homo (inquit), vt calicem passionis transgeret: calix autem passionis quid est nisi passio? id est, cruenta illa flagella, vulnera, crux, & alia, quæ Christus passus est, vt ex Hieronymo dixi, de quibus dixit Petrus: Christo ignur in carne passio: item quæ ab Ecclesia dicuntur, Passio Domini nostri: item, Missa de Passione Domini: item, Passus sub Pontio Pilato.* Adrianus I. vol. 3. Concl. ante Synodum Francofordiensem in epist. ad Episcopos Gallicæ ait: *enimvero etiam in ipso articulo passionis.* Apud sacros Doctores nihil est familiarius quam passionem significare omne quod Christus passus est morte. Omissis autem alijs vulgaribus recognosce B. August. tomo 9. tract. 94. in Ioan initio: vbi id repetit tertio quoque verbo. Est ergo hæc significatio vulgaris Ecclesiæ: ergo Christus ex Agathone orans transigi passionem, perinde est ac deprecans mortem, quam horrebat. Propterea Glossa interlinearia, & Beda dixerunt, *Vt me non moriente mors moriatur*, id est, velle absque mea morte superare hominum mortem. In Bibliotheca homiliarum in Feria sexta in Parasceue, & tota Hebdomada maiori, multa in hunc scopum comperies. totusque contextus id clamat aperte: quoties ter geminata oratio? angelus solator? nisi vt erigeretur Christus ad perferendam necem? de quo latè disp. 89. sect. 2.

§. 24. Ad Hilarium responderetur, eum locutum de timore absolute recusante mortem, qui componi non potuit cum desiderio mortis eiusdem: ac

delede-

desiderium conditionatum potest. Hieronymus non excludit timorem mortis, quem ex ipso probauit: adiicit item & alias causas, quæ Christum maxima affecere tristitia. Idem dico ex Theodoro. S. Catharina admisit expressè duos affectus, alterum, quo mortem recusauit; alterum quo optauit, qui fuit valentior. S. Thom. q. 21. a. 4. ad 1. potius est ab hac sententia: pro qua recognosce alios disp. 89. à §. 14. ad 16.

SUBSECTIO II.

Vtrum illa fuga mortis fuerit efficax, an simplex?

§. 25. **I**am dixi, actum in nobis esse efficacem, non quòd re ipsa assequatur effectum, vt sunt actus Dei nonnulli, qui non sunt efficaces se ipsis solis, sed dependenter à nostro libero consensu: in nobis autem efficax est, qui ita nos mouet ad obiectum, vt adhibeamus media ad illud obtinendum. ita vt non stet per nos, sed alio ex capite impediatur. ita efficaciter vult salutem, qui eam non affectus adhibuit ad eam, quam potuit diligentiam: item efficaciter vult ire Valmasedam, qui ex affectu itineris querit equum, licet nec inueniat, nec iter ineat.

§. 26. Prima opinio est, Christum non voluisse efficaciter fugere mortem, sed ineffaciter. Quæ est bipartita: aliqui censent actus nostros inefficaces non esse, quas vocant absolute voluntates, quas explicamus hac voce *volo*; sed esse *vellemates* explicatas hac voce *vellem*, id est, quod in me est, vellem fugere mortem; quia verò Pater id non vult, nec ego volo. Alij existimant, voluntatem illam inefficacem non explicari tempore imperfecti præteriti subiunctiu, sed præsentis indicatiu, vt, *volo non mori*; non verò, *vellem non mori*. hunc autem affectum in actu primo esse efficacem ad media adhibenda; in actu verò secundo non esse, id est, media contineri in eius virtute, at re ipsa non adhiberi: quia impeditur voluntate Patris. De qua opinione consule Patres Suarez disp. 38. sect. 2. 4. & 5. & Vasquez disp. 73. cap. 3.

§. 27. Prima ratio fit, quam indicant Hieronymus & Hilarius adducti §. 21. Christus voluntate humana voluit & desiderauit efficaciter & absolute mori: ergo non potuit simul desiderare, & absolute velle non mori. Consequètia est certa: quia duæ voluntates efficaces & absolute de eodem obiecto, odium & amor; non possunt simul componi. Antecedens est certum tum ex multis testimonijs ipsius Christi; *Baptismo habeo baptizari*, id est, desidero mortem: tum, *Oblatus est, quia ipse voluit. An putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi plus quam duodecim legiones angelorum?* id quæ ex me constitui potest pluribus in locis, quibus ostendi in Christi fuisse potestate mortem propriam, & immunitatem à morte. Respondebo §. 46.

§. 28. Secundò probatur: Voluntas Christi iam cognouerat voluntatem Dei de morte ipsius Christi, quam ipse acceperat, & sponderat: ergo non potuit eam recusare: quia esset peccatum, velle vt Deus sententiam mutaret, & inconstantia discedere à voluntate semel suscepta. Tandem esset actus imprudens: videbat enim Christus, vt homo, eam

diligentiam frustra futuram. Vide responsa §. 47. S. Thom. §. 29. Existimo tamen, Christum desiderio efficaciter fugisse mortem, & non sola velleitate, aut odio stricto, seu displicentia simplici. desiderium illud non fuit absolutum recusandi præceptum, aut non acceptandi, aut homines non redimendi; sed conditionatum eos redimendi absque morte, si ita placeret Patri: vt, cum homo iustus orat Deum, vt alicui donet salutem, si ita expedit; aut auxilia gratiæ efficacis. Quæ orationes, vt sint prudentes, & quales decent hominem iustum, semper inuoluunt hanc conditionem, quam Deo debemus (dum nobis non constat de voluntate Dei: si enim constaret, possemus absolute petere id, quod scimus ei placere: vt Christus frequenter petiit.) ita dixit Christus: *Pater, si vis: est ergo ille affectus ex parte Christi efficax: quia quod attinet ad ipsum, affectus erat erga immunitatem à morte, quam fugendam curabat, si Patri placeret: vt nos petimus beneficia à Deo.*

§. 30. Hæc conclusio videtur esse communiore: Caietanus enim q. 13. art. 4. docuit aliquando non impletam voluntatem efficacem Christi, quando erat de obiecto ab alijs exequendo. P. Suarez disp. 38. sect. 5. vers. *Intelligi ergo*, affirmat eam voluntatem fuisse aliquo modo efficacem. item multi existimant, illos actus fuisse à voluntate Christi more naturæ, quæ absolute appetit conseruationem, & fugit interitum. Hilarius item, Hieronymus, ac Dionysius Alexandr. Theodoretus, & alij accipientes hanc voluntatem de scandalo discipulorum, de interitu Iudæ & Iudæorum, de breui mortis duratione; eam etiam accipiunt efficacem ex parte Christi, vt fuit voluntas de salute etiam reproborum. P. Salmeron tom. 10. tract. 12. vers. *Dices fortassis*, ab eadem est sententia, dum asserit Christum non exaudiri; quia susceperat peccati penas, quarum vna est hominem ad Deum confugere, & non audiri.

§. 31. Ratio à priori est: tunc in nobis affectus est efficax obtinendi finem, quantum est in nobis, quando ita nos mouet, vt ob finem adhibeamus media, quæ possumus ad illum obtinendum. Itaque enim dixi, in ijs quæ ab alio pendent, nos non habere alios actus efficaces: ob quod voluntas de salute est efficax, quando ego eam à Deo peto: sed illud odium in necem mouit Christum ad adhibendum prudentissimum & efficacissimum medium, quò mors fugeretur: ergo odium illud fuit efficax ex parte Christi. Minor est certè ex Euangelio Matti. 26. 39. *Orans; & dicens: Pater mi, si possibile est, transseat à me calix iste: hæc autem oratio quid est, nisi petitio vt mors excusaretur: ait Glossa interlinearia; & Beda, vt me non moriente mors moriatur.* id quæ oratione ter repetita. Marci 14. 35. *Orabat, vt, si fieri posset, transferret ab eo hora;* en orationem vt mors non eueniret. in hunc scopum dixit: *Abba Pater, omnia tibi possible sunt, transfer calicem hunc à me.* Christus voluit absolute nos redimere; sed vellet alio pretio quam morte.

§. 32. Obijcies, Christum non potuisse immunitatem à morte; sed orasse eleuata in Deum inerte, & voluisse ostendere veritatem humanitatis assumptæ. Contra: Finis ille amatus fuit à Christo, & explicata veritas humanitatis vera petitio; qua mortem fugendam curauit. Quid enim significat imperatiuus, *transfer: item, Omnia tibi possible sunt;*

S. Thom.
q. 18. a. 6.

sunt; & alia verba? quæ nisi veram petitionem foverent, esset ridendus & puerilis lusus inter Christum & Deum, cum quo Christus vt homo seridè locutus sua oratione nos docuit orare, vt ait Damascenus: quem adducit Strabus in Matth. 26.

SVBSECTIO III.

Quid alij respondeant ad opposita argumenta?

§. 33. **M**itto varias respondendi rationes impugnatas à §. 7. ad 13. præsertim, quæ de multitudine scientiarum in Christo latebras quarit. Anima Christi scientia beata & infusa rectè callebat omnia, nec poterat scientia acquisita moueri ad voluntatem efficaciter, quod alia scientia cognoscebat esse contra voluntatem Dei: ergo dicunt hoc desiderium fuisse consideratà acerbitate mortis, non consideratis alijs circumstantijs difficilè sentiunt: quia voluntas Christi omnes circumstantias habebat exploratissimas: nec dici potest Christus se gessisse, ac si cetera ignorasset: quia scientia perfectissima ea penetrauerat.

§. 34. Dicitur ergo posse videri, Christi voluntatem humanam exercuisse duos actus erga mortem. Primum liberum ortum ex scientia beata aut infusa: quo non solum voluit obedire, sed vehementer optauit mori pro nostra salute ob amorem in Deum, & nos. Quam significauit, *Non sicut ego volo, sed sicut tu*: item, *Fiat voluntas tua*. Quo actu oblatum est, quia ipse voluit. Secundus actus fuit immediatè, & in se necessarius, ortus ex apprehensione vehementi mortis, quæ imaginationem vehementer commouens, excitauit intellectionem, etiam vehementem; qualem in nobis excitant terribilia, cum imminet. ex qua apprehensione excitatum est odium necessarium in mortem; ex quo orta est petitio, vt mors amoueretur. cui sententiæ non leue fundamentum iecit B. Thomas q. 18. a. 5. & 6. & q. 21. art. 3. Durand. in 3. dist. 17. qu. 1. nu. 8. Ricard. art. 1. qu. 3. & alij apud P. Vasquez disp. 73. nu. 14. consentire videtur P. Salmer. to. 10. tract. 12. vers. *Pro cuius*, ad finem.

§. 35. Hic poterat disputari, vtrum Christus, vt homo, possit exercere actum necessarium ortum ex aliqua scientia imperfecta; quando illi est alia scientia perfectior, qua rectè noscuntur omnia eius obiecti adiuncta? Deus amatur necessariò à Beatis: quia visio rapit voluntatem, quam scientia infusa Deum representans tenere non potest: quia non admittit vim beatae, & ab infusa oritur liberè alius amor: at necessitas amandi creaturam oritur ab imperfectione scientiæ: cum autem voluntas ea imperfectione non careat absolutè, cur amabit necessariò? Do, oriri posse duos amores in idem obiectum; alterum liberè ex scientia perfecta; alterum necessarium ex imperfecta: at amor efficax liber, & odium efficax necessarium, esse non possunt simul.

§. 36. Quod probo: quia amor efficax & odium de eodem obiecto sunt oppositi quasi contradictoriè: ergo non possunt esse simul. Consequentia patet ex philosophia: quia idè assensus & dissensus esse non possunt, quia connotant contradictionem in obiecto, cui simul assentiri non possumus. item quia impossibile est idem simul esse, & non esse, non possumus illud efficacibus odio & amore

simul prosequi: quia vellemus efficaciter, quod cernimus esse impossibile. Antecedens probo: quia amor efficax vult existentiam mortis; odium efficax vult carentiam mortis: sed mors & eius carentia sunt opposita immediatè: ergo illi affectus opponuntur quasi contradictoriè: quia amor efficax & odium efficax accipiunt oppositionem ab obiecto. Quo differunt à simplicibus actibus, qui sub diuersa ratione formali possunt esse; vt ego possum dolere de obitu patris, quia erat amicus, & gaudere ob aliquod commodum. item potest esse simplex apprehensio de obiectis contradictorijs: quia actus inefficaces non tendunt ad constituendum obiectum à parte rei; efficaces autem è contrà.

§. 37. Obijcis eam doctrinam esse veram, quando vterque actus est liber. Contrà: Non possunt simul esse assensus & dissensus de eodem obiecto, licet alter sit liber, & alter necessarius: quia nullo modo intellectus sibi potest persuadere duo contradictoria: ergo nec duo actus efficaces in voluntate. Probo consequentiam: quia eandem oppositionem habent actus voluntatis, quam intellectus: & quemadmodum hic non potest assentiri, ita nec illa velle: quia velle, quod cernit apertè esse impossibile. Nec Christus posset perseuerare in actu efficaci libero ex suppositione quod velle actum necessarium de obiecto opposito: quia videbat voluntatem non posse efficaciter moueri ad existentiam simul cum carentia existentie. Quod clariùs patet: quia Christus actu libero voluit omnino mori, & nullo pacto reculare mortem: ergo non potuit illam efficaciter reculare alio actu. An Christus tam fuit arronitus, vt vellet simul duo contradictoria existere? nec amentissimi quidem hoc faciunt: Christus autem qua ratione exercuit actum necessariò, quo tam piè, tam prudenter, tam sanctè se subiecit voluntati paternæ? & actum non omnino necessarium, qualis est in nobis, sed liberum salutem in permissione.

SVBSECTIO IV.

Præmonitiones ad responsa.

§. 38. **R**ecolenda sunt, quæ dixi disp. 13. à §. 292. Christum decretum fuisse hominem independentem à præuiso peccato vilo, cum quæ actibus charitatis independentibus à consummatione per mortem meruisse angelis & hominibus primam gratiam; item & elegisse hanc matrem, cui independentem à morte meruit merita congrua ad maternitatem impetrandam. hic actus in Christo fuit ortus tum à scientia beata, tum ab infusa, & consideratus prout in primo instanti conceptionis Christi, qui fuit origo cæterorum liberorum, & in præuisione, & existentia, & executione prior.

§. 39. Christus cum illo actu absoluto independentem à mortis consummatione exercuit alium conditionatum reparandi hominem, si liberetur, ob-eundo mortem, aut aliud exercendo, quod Patri placeret in satisfactionem pro peccato Adami, & mortalium omnium. Hunc actum præcessit cognitio hæc: *Si Adam peccaret, & non esset locus redemptioni nisi per tuam mortem, quid ageres?* Christus autem hac cognitione pulsatus decreuit: *Ego redimam genus humanum, etiam morte propria, si Pater noluerit aliud saluificandi genus.* Hi duo actus, nempe absolutus de

con-

conferenda prima gratia, & conditionatus de reparatione per mortem, fuerunt comitantes; simul cum hoc: *Nolo corpus impassibile, vsque dum cognoscam, vtrum necessaria sit mors ad reparandos homines.* Hoc miraculum præstitum est à Christo vt homine, qui sine miraculo non poterat proxima impassibilitate carere, simul cum alio de virginitate matris. Hæc duo fuere printa Christi vt hominis miracula.

§. 40. Igitur visus est Adamus existens independenter à meritis Christi: item visa est in illo gratia dependens à meritis Christi, prout in primo conceptionis instanti: lapsus autem Adamus totam vitiauit posteritatem; de ea reparanda cogitavit Christus. Qui certus fuit homines reparare, quæ ratione Deo placeret: at pro illo primo signo rationis, antequam absolutè vellet mori, præcinditur à cognitione de voluntate Dei efficaci non accipiendi satisfactionem nisi dependenter à morte: egit autem Christus, vt homo, cum Deo de reparatione: quam Christus optavit vehementer, ne esset per mortem. Quia Deus illi hanc cognitionem inmisit: *Quid ageres, si tibi pro satisfactione obeunda esset hæc mors cum ijs cruciatibus, iniurijs & circumstantijs?* Tunc autem non intelligitur cognouisse voluntatem efficacem Dei, sed tantum eam apprehensam more comminatiua, quæ, quia conditionata est, potest inflecti conditione positâ. Christum autem horrore eius mortis concussus, dixit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste;* id est, si expectas meam voluntatem ad decrenendum efficaciter genus satisfactionis, te oro, vt aliud eligas, vt ex Glossa & Beda dixi §. 31. sin. verò independenter à me statuis hoc genus, *Fiat voluntas tua:* ego volo mori. ita expressè dixit Anselmus lib. 1. *cur Deus homo* c. 9.

§. 41. Deus non coëgit Christum mori; sed ipse videns in sua esse potestate mori, & non mori, elegit mortem vt nos redimeret; malens cruciatibus mortis, quam nostram desertionem. illud: *Fiat voluntas tua,* non est idem, quod, *moriar;* siquidem vis: sed est, *ego moriar, siquidem vis, aut vt ego sim solus beatus, aut vt moriar: malo enim mori, quam solùm beari. si tua voluntas est, vt non redimatur homo nisi per mortem meam; fiat voluntas tua.* cum autem etiam pro illo signo non concipiatur cognouisse efficacem voluntatem Patris, perseverauit in ea oratione bis & ter.

§. 42. Cùm autem angeretur mortis horrore, & factus in agonia videretur à Patre; tunc intelligitur Pater ei reuelasse se decreuisse efficaciter nullam satisfactionem admittere, nisi dependenter à consummatione per mortem: ipse autem eligeret alterum è duobus, aut esse sine hominum beatorum regno, aut illam necem obire. cum autem angor ille ortum traxisset ex phantasia viuaci de acerbitate dolorum; voluit Pater vt eadem phantasia erigeretur spectaculo aliquo delectabili; tunc apparuit ei angelus confortator aut cõsolator, ei promittens gloriam corporum prædestinatorum per eius sanguinem, si eum vellet fundere: tunc assumptis aëreis corporibus ei ob oculos proposuit corpora instructa quatuor dotibus gloriæ, vt dixi disp. 55. à §. 19.

§. 43. Quæ corpora ad viuum referebant corpora prædestinatorum omnium, quos Christus proprijs de nominibus agnoscebat. Quod spectaculum adeo reddidit Christum animæ quiores, vt decreuerit animo valentissimo mori, & optare

præceptum mortis & aduentum. ex quo gaudio *s. Thom.* sanguis ebulliuit, & extra corpus erupit, more la- *q. 18. a. 6.* tis calore rarefcentis in lebetem. tunc Deus illi præcepit mortem, relicta optione, vt præceptum acciperet, aut recusaret, si vellet: significauit enim Pater sibi æquè gratam fore eius incolumitatem, ac hominum salutem, si ipse vellet recusare præceptum: interim autem à se præcipi mortem, vt dixi disp. 52. §. 131. tunc Christus amore in nos, & præcipuè in Deum, orto ex visione beata & scientia infusa; item ex amore nostri orto ex spectaculo angelico, noluit recusare, sed accipere mortis præceptum: ita vt nec deinceps mortem deprecatus fuerit, nec ad eam fugiendam diligentiam adhibuerit; sed dixerit potius: *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem; surgite, eam us hinc.* Hinc ortum traxit desiderium illud calicis atque baptismi: item alacritas in se deuouendo morti tam atroci. quæ alacritas tam fuit admiranda, vt Adrianus I. in Concilio Francfordiensi tom. III. Concil. in epist. ad Episcopos Gallicia dixerit Christum adeptum gloriæ resurrectionis propter gaudium in passione, cuius verba describam disp. 78. §. 21.

§. 44. Hic actus in præuisione Dei fuit tertius, aut quartus, vt dixi disp. 63. §. 20. ex quo ortum traxere omnes alij absoluti, quos Christus exercuit vt reparator, quibus prædicauit, laborauit, sudauit, sitiuit & esuriuit: ac ille præcipuè, quando dixit, *Nolo corpus impassibile proximè, sed proximè passibile per annos tres & triginta.* etenim conditionatè id voluerat secundo actu, quem §. 39. dixi consideratum in primo conceptionis instanti.

§. 45. En quàm aptè hæc consentiant sensui B. Catharina Senensis, quæ constituit in Christo fugam, odium quæ mortis: item & desiderium accelerationis. Fugam ego constituo priorem ratione, desiderium ratione posterius, item Deum suauissima providentia, egisse, vt Christus ostenderet veritatem assumptæ carnis, & perpenfâ dolorum acerbitate, ostentaret in nos amorem: hic enim tandem vicir. cetera enim paria erant: quia Deo æquè gratus esset amor Christi, quo vellet homines ob peccata deserere. item & per angelum consolatorem eum traxit ad mortem alacriter & sponte obeundam, & ne recusaret de ea præceptum. accepit item in partem pretij actus illos heroicis orationis in horto. effecit tandem vt Christus moreretur: quia ipse Christus voluit, siquidem potuit, recusato præcepto, non mori, & vt moreretur obediens: quia dum non recusauit præceptum, obstringebatur eius vi. De quo multa dixi disp. 62. à §. 118. quæ autem dicta sunt ibi de potestate Christi ad non moriendum, & de pacto homines redimendi per mortem, optimè quadrant in hanc orationem in horto, in quo peractum est totum negotium de nostra salute: tunc enim imminabat occasio aut moriendi, aut homines deserendi: tota autem passio inde accepit initium. nullum est ergo tempus commodius, de quibus clarè etiam constabit disp. 87. à §. 13. ad 16.

SUBSECTIO V.

Ad argumenta.

§. 46. **I**am est facilis soluta forma argumentorum. Ad primum ex §. 27. concedo antecedens,

S. Thom.
q. 18. a. 6.

cedens, & distinguo consequens: non potuit desiderare non mori desiderio antecedenti, & conditionato, nego consequentiam; desiderio consequenti, concedo consequentiam. Ad probationem consequentiam, respondeo non posse componi duas voluntates absolutas & efficaces odij & amoris eiusdem obiecti. ob quod Christus non potuit habere hos actus, *Volo absolute mori*, nec dixit, *Nolo mori absolute*; sed, *Si Deus vult hominem redimi sine mea morte, nolo mori*: si autem non vult, volo mori. hic actus componi potest cum hoc, *Iam video Deum nolle hominem redimi sine mea morte: volo mori*. Ut cum æger non vult sanguinem emittere, si potest aliter sanari; videns autem id non posse, vult emissionem. Hi duo affectus nullam connotant contradictionem, & possent componi, si cognitiones essent eodem momento simul. Christus ergo prius ratione quam cognosceret efficacem voluntatem Patris, voluit sub conditione non mori: at postquam eam cognouit, voluit absolute mori. Itaque ex illa cognitione nullus actus secutus est, quo mors fugeretur; sed potius secuta est carentia fugæ absolute mortis, & negatio voluntatis alio modo homines reparandi, vt de spe & reuelatione dixi volum. 2. disp. 119. à §. 24. & hac disp. à §. 4. dixi de actibus Christi. Quo autem pacto fuerit in eius potestate mori, & non mori, dixi §. 45.

§. 47. Ad secundum, ex xxviii. distinguo antecedens. Christus cognouerat voluntatem Patris, & spondederat absolute mortem prius ratione quam eam recusauit, nego antecedens; posterius ratione, concedo antecedens, & nego consequentiam de recusatione efficaci conditionata antecedente scientiam illam, concedo de recusatione absoluta efficaci, item & conditionata secuta scientiam illam. non possunt odium efficacem absolutum, & amor efficacem absolutus componi, etiamsi alter actus sit antecedens, quia simul amarentur contradictoria, vt existerent simul: at odium efficacem conditionatum antecedens componi potest cum amore absoluto consequente: quia non amantur absolute contradictoria, vt existant simul. Ad primam probationem consequentiam, respondeo esse peccatum, velle vt Deus mutet efficaciam decreta, quia id supponit esse cognita: at potuit pro illo priori non considerari scientia, & prudenter censeret Deum forte ea oratione mouendum, vt de salute reprobatorum dixi à §. 4. Recognosce quæ ex Augustino dixi §. 8. id enim non est velle vt Deus sententiam mutet, sed est velle eius voluntatem quasi comminatoriam flectere, quæ sæpè nostras orationes expectat. Nec ea fuit inconstancia in Christo, qui actum conditionatum moriendi non mutauit; absolutum retinuit semper conceptum ratione posterius quam illam fugam, & quam reuelationem de decreto efficaci Dei: nec fuit imprudentia, vt de alijs actibus dixi à §. 4.

SUBSECTIO VI.

Difficultates.

§. 48. **N**onnullæ difficultates superandæ sunt. Prima est, quia Christus ignorauit decreta efficaciam Dei, si quidem ex ea ignorantia orta est voluntas vitandæ mortis. Respondeo, Christo nullam fuisse ignorantiam: hæc enim est realis carentia scientiæ, quæ carentia nullo instanti fuit in

Christo cognoscenti omnia per scientiam beatam & infusam à primo instanti conceptionis ad æternitatem posteriorem: at illæ scientiæ Christi simul tempore existentes non existerent eadem similitate naturæ aut rationis; sed eas ratione partimur: vt fuerunt principia actuum voluntatis Christianæ, aut effectus. quæ scientia direxit actum aliquem voluntatis, concipitur vt illo prior; quæ consequitur, vt posterior: quæ autem nec est causa alius cuius voluntatis, nec effectus, est simul cum illa similitate naturæ. Nec in Christo id est incommodum, quod nec est in Deo, vt Deo, cuius scientiæ concipiuntur priores aut posteriores ratione quam volitiones. Dico igitur scientiam de absoluto decreto Dei non accipiendi aliud genus satisfactionis, fuisse posteriorem ratione quam fugam mortis. quia reuelatio facta est ob illum actum tam perfectum, quo Christus voluit mori, si Patri placeret: qua reuelatione Christus conuenit accipiens, & non recusans præceptum. Ob quod rectè dixit P. Maldonatus, Christum in ea petitione se gessisse, ac si nihil sciret de voluntate Patris: quia scientia ratione posterior actu, perinde est illi actui, ac si non esset. Sic accipio aliquos Scholasticos Doctores, arbitratos Christum deprecatum mortem non consideratis omnibus circumstantijs; ijs autem consideratis, illam desiderasse: nam pro illo priori fugæ perinde erat scientia posterior, ac si non esset. Scientia autem quæ orationem direxit, non attingit omnes circumstantias, quas attingit scientia posterior, ex qua ortum est desiderium mortis. Illæ item prioritates & posterioritates sunt admittendæ, sine quibus Scripturæ non possunt commodè exponi, nec irem perfectio Christi: cum enim illæ sint possibiles, satis monstratur illarum existentia ex factis Christi, in cuius vita non legitur hæc aut similis fuga mortis: ergo tunc pacta fuit nostra redemptio.

§. 49. Secunda difficultas est, quo pacto colloquium illud inter Deum & Christum vt hominem referendum sit ad hortum Getsemani, cum multo antea Christus se obtulerit morti? Respondeo, primam gratiam hominibus collatam ob amorem Christi in Deum, & alios actus vt exercitio in primo instanti conceptionis: at reparatio generis humani ortum traxit non formaliter à Christo vt in vtero, sed vt viro proximo iam occasione moriendi, vt dixi §. 45. itaque vt mundus fuit redemptus actibus mortis formaliter, id est, quibus mors obita est, ita inde cæpit redemptio: & quantum inter conceptionem & orationem in hortu interiecti fuerint plures anni, & ante realem existentiam Christi in hortu, fuerit alijs in locis, & exercuerit plurimas actiones; at in præuisione absoluta Dei, prior fuit existentia in hortu & oratio, dependenter à qua visa est acceptio præcepti.

§. 50. Potuit quidem actus ille videri à Deo, vt existens in hortu, quin prius existeret, quia potuit tunc incipere: item potuit idem actus existere toto tempore antecedente, & in hortu etiam: sed existentia in hortu fuit in intentione & præuisione prior. è duobus statibus, elegit Deus hunc vltimum, & voluit eum actum existere in hortu, & eum etiam esse in primo instanti conceptionis, vt per eum Christus mereretur toto vitæ discursu; semper tamen fuit dependens ab agone in hortu præuiso: in cuius præmium datus etiam fuit in primo instanti conceptionis.

§.51. Hæc explicari possunt Primùm ex sententia probabili proposita disp. 28. à §. 34. asserente Christum vt existentem extra uterum matris, & conseruatum à solo Deo actione durante vsque ad obiectum, meruisse merita matri, vt eum conciperet. eodem pacto Christus vt existens in horto meruit redemptionem, eaque voluntas durauit ad mortem ipsam. item & in reali existentia cœpit à conceptione, sed in præuisione priùs fuit in horto. Secundò, explicatur in sententia certa asserente ob merita Christi posterius tempore existentia, sed priùs in præuisione collatam antiquis patribus gratiam.

§.52. Tertia difficultas. Christus nullo instanti garuit hac absoluta acceptione præcepti. quo ergo pacto in horto Christus aliquo interuallo orauit? Respondeo, Christum vidisse ab instanti conceptionis suam agonem, eumque duraturum: id præuidit Deus; & dependenter ab illo vt à merito, vel vt à conditione, reuelasse Christo suam voluntatem de non accipienda alia satisfactione: item reuelasse ipsius Christi in agone perseverantiam, & angelicum solatium, dependenter à quibus acceptionem præcepti exituram. Vnde rectè potuit hic actus componi cum agone toto eo tempore, quia est ratione posterior agone, & necessariò cum cæteris alijs futuro, ex suppositione reuelationis & scientiæ Christi.

§.53. Quarta difficultas, quo pacto tunc Christus fuerit anxius? Respondeo eum non elegisse corpus impassibile, sed ea in parte reliquisse suæ naturali complexionem, quæ potuit angri: nec tum Christum concipimus extra impassibilitatem, quæ ei esset donata post eum angorem, quam tamen ipse ratione posterius angore repudiavit.

§.54. Tandem aduerte, voluntatem illam Christi ortam ex apprehensione externa angelici solatij auolasse citò: quia pendeat à sensu externo, qui non semper in eadem persistit actione: at verò amor ortus à scientia beata & infusa tota vita durauit, quia non pender à sensu. Vnde duo illi actus, toto vitæ cursu meruere nostram salutem, præter quos fuere multi alij, vt patientia Christi orta ex apprehensione dolorum, & alij.

SECTIO IV.

Duo corollaria.

§.55. **H**inc inferuntur duo: alterum, voluntatem humanam Christi nunquam fuisse

se contrariam diuinæ: quia cognitâ voluntate diuinâ efficaci, aut præcipiente, aut consulente, nihil legit contra illam, nec potuit. at in illo primo signo rationis, quo concipitur præcisus ab ea cognitione consilij, præcepti, aut efficaci decreti, nihil voluit absolutè, sed semper cum dependentia à voluntate Dei: *Pater, si vis.* in quo non est oppositio: voluit quidem Christus, vt homo, aliquod obiectum, quod Deus noluit, nempe salutem hominum sine morte Christi: quod non est satis ad contrarietatem voluntatum, dum non intelligitur cognita voluntas Dei: item voluit sub conditione.

§.56. Alterum est, voluntatem Christi non exercuisse actus contrarios: quia quod semel voluit absolutè, nunquam absolutè recitauit, sed sub conditione. quod non habet oppositionem, si quidem illi duo actus possunt componi, obiecta contraria voluit, vt mori, & non mori; sed non modo contrario, sed compossibili.

SECTIO V.

Vtrum voluntas humana Christi fuerit semper impleta?

§.57. **D**ico Primò: Ea quæ Christus absolutè voluit, adeptus est. hoc constat Primò, ex Ioan. II. 41. *Quia semper me audis*, ait Lyra, in ijs quæ absolutè voluit, item quia Christus nihil voluit absolutè nisi quod sciebat Patri placere, eumque daturum, si peteretur.

§.58. Dico Secundò: In ijs, quæ voluit conditionatè, eius voluntas non est impleta. hoc probat Agatho in VI. Synodo act. 4. quia voluit latere, & non potuit. de quo satis multa dixi à §. 3. Idem dico de petitione calicis transigendi, vbi auditus est quod attinet ad impetrandam hominum reparationem, quæ Patri placebat, quamque absolutè petiuit; quoad modum autem non fuit exauditus; quia sub conditione tantùm id petiuit, quin eam petitionem direxerit scientia de efficaci decreto Dei. quòd si non fuit exauditus, fuit, quia Deus efficaciter decreuerat nullam aliam satisfactionem accipere; non verò ob defectum orationis Christi, qui etiam tunc impetrauit solatium angelicum. imò absolutè non potest dici non exauditus, quia ex suppositione decreti Dei non volebat nisi mori. Hæc obserua in disp. 78. §. 6.